

2021

P O L E M I C I

2022

DXXVI.

577 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 26. 4. hoc Titulo gaudet: *Clag vnd antwort von luterischen vnd bepstischen pfaffen vber die reformation so Newlich zu Regenspurg der Priester halb vsgangen ist Im Iar MDXXIII. Legatus Apostolicus (Laur. Campenius Card.) utor verbis Job. Cochlaei de Act. et Script. Mart. Luth. Moguntiae 1549. p. 98. f. cum intelligeret Laicorum animos grauitur offendi improbis Clericorum abusibus et perditis moribus — egit cum Principibus, ut ex Consiliarijs suis delectu quodam deputarent uiros expertos, qui articulatim consignarent excessus et defectus, scandala item et abusus Clericorum Germanie. Ipse quoque ex suis in eum delectum deputauit Joannem Cochlaeum, quo et interprete utebatur in ijs, quae Germanice proponebantur. Insignem itaque ex oblati per Delectum articulis fecit ac promulgauit Constitutionem — quam et reliqui Principes gratam ratamque habuere. Huic porro Constitutioni Satiram superstruit Anonymus noster subiectis ad singulos Articulos utriusque Cleri querelis et lamentis, ita, ut Trös Rutulusque nullo illi discrimine agatur. Itaque sic ingreditur: *Ersamen weisen lieben Herren, Ir habt da In dem Comitio zu Regenspurg widder vnns armen pfaffen ain Reformation lassen vsgaan, glichsam seyen wir schuldig daran das die welt bey*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

*vier Hundert Jaren her verfurt worden ist &c. se quoque celebrasse Comitium et sequentia in Articulos propositos animadvertere. Atque hinc reliquae etiam Hominum conditiones sale multo nec inficeto perfricantur. Ad calcem jacet: *Getruckt zu Leimbisch Auff dem Federmarck.**

DXXVII.

887 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 93. f. non una manu exaratus et rubricis distinctus continet: I. Colloquium Guilielmi Torp (Thorpe) concionatoris in Villa Schrowysbery (Shrewsbury) incarcerati cum Thoma Arundel archiepiscopo Cantuariensi primate Anglico et Cancellario. anno 1407. habitum, in quo de Wiclef et eius discipulis (qui et nominantur) nonnulla. Wiclef Adseclas nomine a Germania inferiore, ubi jam prius inuenerat, in Angliam traducto Lollardos sive Lollardos dictos fuisse, notum est, pro qua voce in Whartoni Anglie sacr. T. I. p. 62. vitio fortasse Scriptoris Lollardos legas. Ex horum numero fuit Thorpius hic, cujus Narratio incipit: *Notum sit vniuersis legentibus hanc scripturam subsequentem, quod die dominico proximo post festum Sancti Petri, quod dicitur ad vincula Anno domini MCCCCVII. Ego Vilelmus torp incarceratus in castro de Saltwotde (Saltwood) adductus eram coram domino Thoma Arundel Archiepiscopo Cantuarie &c.*
F f f Collo-

2023

C O D I C E S

2024

Colloquium istud acerbis suis in Ecclesiam Rom. animadversionibus interpolatum dedit *Job. Foxus* in *Commentar. Rer. in Eccl. gestar.* P. I. p. 80. ex uerissima, ut ait, *Guil. Tyndalli et historicorum narratione*; inseruit item *Actis suis et Monumentis Angl. Vol. I. p. 692.* addito *Thorpium Testamento*, elogio *Martyris*, quamvis de morte ei illata nihil certi adferat, et *of a good Man and blessed Servant of God* hominem persecutus, aliter judicante *Jerem. Colliero* in *Eccl. History of great Britain Vol. I. L. 7. p. 625.* cujus ultima solum verba adscribam: *I have been the longer upon this Story, to shew the Temper and Complexion of some of Fox's Confessors, and to caution the Reader against taking his Characters upon Content.* Ob exercitiam in ejusmodi Homines severitatem *Lollardos* asseverasse justo Dei judicio *Thomam* Archiep. angina sublatum, idque, dum Excommunicationis sententiam in *Job. Cobhamum* proferre vellet, video *Biogr. Britan. Vol. I. p. 212.* Ita referunt alii, *Wiclfum* sub ipsam Hostiae in Missa elevationem paralyti percussum loquelam amisisse, et quidem pridie Festi *Thomae Cantuar.*

II. fol. 29. praemisso Indice sequitur *Job. Hussi Tractatus de Ecclesia.* Initium: *Cum quilibet viator debet fideliter credere ecclesiam sanctam catholicam &c.* Ut Codd. variis, et Edit. *Norib. 1558. P. I. f. 196.*

III. fol. 92. p. 2. *Excerpta ex glossa Innocentij tertij super missam et super antecedentia missam.* Primum de significatione nominis *Episcopi et presbiteri.* Deinceps ut plurimum de Vestimentis sacris.

DXXVIII.

Codex chartaceus lat. graec. ⁶¹⁶ Sec. XVI. 4. Folior. 111. nigro, rubroque charactere nitide varians hunc praefert titulum: *Gloriosae Carnis Filii Dei Domini Nostri Jesu Christi aduersus Fridericum Staphylum Joannis Langi Silesii altera sacrarum Literarum atque Sanctorum Patrum confirmata sententiis catholica defensio.* De prima Defensione nil reperio. Secunda haec nostra directa est: *Ad Sacratissimum et Inuictissimum Romanorum Imperatorem Ferdinandum Primum Augustum Pium Felicem Pa. Pa.* Jambo senario et dimetro alternantibus, hoc initio:

*Populi Quiritium Imperator maxime,
Et Pannonum Rex optime,
Boigque gentis, et Silesie meae
Dux Ferdinande prepotens &c.*

Hac